



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 91. Cæsar ob Henrici, ac Francisci Regum mortem parum afflictus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

ni ex parte in Franciam alliciebat. Por-  
ro primis Nuptiis duxerat Claudiam  
Ludovici XIII. & Annæ Britannæ fi-  
liam, ex qua tres filios, ac totidem fi-  
lias suscepit: ast præter unicam nomi-  
ne Margaritam Emanueli Philiberto  
Sabaudiaë Duci nuptam solus Henricus  
Regni Successor vita superstes fuit.

Sæcul. XVI,  
A.C. 1547.

§. XCI.

*Cæsar ob Henrici, ac Francisci Re-  
gum mortem parum affligtus.*

Equidem Cæsaris animus anxius, qui-  
bus agitabatur, curis Angliæ Regis  
obitu haud parum fuerat liberatus, ve-  
rum Francisci I. morte plenam adeptus  
est mentis tranquillitatem. Nihilomi-  
nus Francisci Regis, quem semper suum  
inimicum noverat, meritis sequens e-  
logium abnegare haud potuit: „Mor-  
„ tuus est, aiebat, Princeps tam præ-  
„ claris dotibus insignis, ut eo illustri-  
„ rem a natura efformari posse, vix non  
„ dubitem „ (\*) Solemnes quoque Le-  
gationes, Londinum æque ac Parisios  
decrevit, ut dolorem suum utriusque  
hujus

N 5

(\*) De hoc Cæsaris elogio, necnon de  
insigni funeris pompa Thuanus, quem Conti-  
nuator unicam allegat, alium tenet silentium.

Sæcul. XVI. hujus Regis Successoribus testaretur,  
 A.C. 1547 clam vero de eorum obitu lætabatur.

(\*) Enimvero hi soli erant Principes, qui contra Cæsarem Saxoniae Electori valida militum subsidia suppeditare poterant, ac ipsemet Elector de hisce auxiliis palam gloriabatur, eaque certo sperabat; quinimo certissimum est, quod Imperator nunquam Saxonem debellasset, nisi utriusque hujus Regis auxilium ei illo tempore, ac rerum vicissitudine defuisset, ubi adhucdum de Bohemorum rebellione maxima sibi commoda pollicebatur.

§. XCII.

*Argentineses ab Electore Saxoniae ad constantiam admoniti.*

Hanc ob rem Saxoniae Elector ob armorum progressus, ac Cæsarei exercitus victorias haud multum con-

(\*) An Continuator secreta cordis confilia in Carolo penetraverit, quis non dubitet? Si Cæsar clam fuit lætatus, unde ergo hoc gaudium internum cognosci potuit? Si de hac lætitia Continuator conjecturam facit ex eo, quod Imperator per hunc obitum faciliorem Ecclesiae hostes debellandi opportunitatem nactus fuerit, non Cæsari, sed illis, quos laudare nititur, injuriam infert.